Maria dei gracia Regina Aragonum Sicilie Valencie Maioricarum Sardinie et Corsice Comitissa Barchinone
Ducissa Athenarum et Neopatrie ac eciam Comitissa Rossilionis et Ceritanie locumtenens generalis Sere-
nissimi domini Regis viri et domini nostri carissimi / Dilecto nostro Officiali ecclesie Gerunden et eius locumte-
nentibus vniuersis et singulis ad quos presentes peruenerint seu subscripta tangere quomodolibet
videantur / Salutem et dilectionem / Pro parte Juratorum ac Sindici Ciuitatis Gerunde fuit nobis
expositum reuerenter / Quod licet Jurati et totum Consilium Ciuitatis eiusdem vtendo Regiis priuile-
giis / atque dicte Ciuitati concessis / imposuerint seu indixerint necessitate vrgente / et vtilitate
publica suadente / certum ius soluendum per carnicerios / pro quolibet capite animalium / quod
vendent in dicta Ciuitate / conuertendum pro certa parte in refectione operum murorum dicte
[illegible] magnas inundaciones aquarum nouiter subsecutas / cuius impensam / destruccione dicte
Ciuitatis seu maioris partis illius cominatur / Vniuersitas Cleri [illegible] Ciuitatis Gerunde / seu
illius pars / qui iam in deliberacionibus / preteritis temporibus habitis / super operibus dicti [illegible] ad
agreretur de vrbanitatibus et alodiis clericorum / et restauracione vel destruccione eorum / plures et
diuersimode fuerunt / Pretendens nunc nouiter / preiudicium in impositione predicta / aditum
ad vos habuit seu recursum / Vosque ad partis instanciam dicti Cleri / monuistis Azinale [illegible]
notarium et scribam Consilii dicte Ciuitatis / tenentem scripturas et acta consilii eiusdem / vt de iustis
et scripturis factis per consilium dicte Ciuitatis / premissa racione / et de quibuscumque prouidenciis inde
factis / det copiam dicto Clero / et alias non nulla procedimenta facere incepistis / Ex quibus dicta
Ciuitas se pretendit preiudicata et [illegible] ad vos non pertineat cognoscere vel vos intromittere
de hiis / sicut in quadam super hiis nobis oblata supplicacione la[illegible] continetur / Ob quod nobis
fuit humiliter supplicatum quatenus dignaremur causam huiusmodi ad nostrum consistorium euocare / et alias
super hiis de oportuno iusticie remedio prouidere Nos vero supplicacioni huiusmodi suscepta benigne
Cum tales seu similes questiones in consistorio principis et non alibi tractande sint / Cum agatur
de viribus priuilegiorum / Et quia eciam Jurati Sindicus scriba et alii de Consilio dicte Ciuitatis
inmo et Ciuitas ipsa laica sunt / et non possunt aut debent pro dicta causa / aut eis similibus
coram ecclesiastico iudice trahi aut conueniri / quinimmo quorumcumque iudice ecclesiastico / se volens
intromittere de hiis / incurreret et preiudicaret Regie preheminencie in magnum facit / pro tanto
et alias causam predictam ad Regium consistorium euocantes / harum serie vos requirimus et monemus
attente / quatenus intimetis et notificetis parti dicti Cleri / quod si iuste aliquod pretenderit in
premissis / vel aliquas suas vult aut intendit contra dictam Ciuitatem racione premissa
[illegible]
de Papiolo legum doctore / proposita et allegatura raciones si quas habet / aduersus predicta /
et alias iura sua plenarie ostensura / nam faciemus ei ministrari iusticie complementum /
Vosque ab inceptis per vos premissa de causa penitus desistatis / Et ea totaliter reuocetis / et ad
statum primeuum et pristinum reducatis / Et de eis cognoscere vel vos intromittere / directe
vel indirecte nullatenus presumatis / Vel si causas habetis iustas / propter quas premissorum
cognicionem ad vos seu iudicium ecclesiasticum pertinere pretendatis / illas infra viginti dies a pre-
sentacione huiusmodi vobis fienda inmediate continue sequturos / coram nobis seu coram dicto
Raymundo de Papiolo proponere et allegare curetis / Alioquin si contra premissa facere
temptaueritis quod nullatenus opinamur / oportebit nos pro defensione Jurisdiccionis et preheminencie
supradicte domini Regis / et pro vitando huiusmodi preiudicio / quod ingens est / super premissis
taliter prouidere / taliaque adhibere remedia per que Jurisdictio [illegible] et iuris
Regiorum plenarie satisfiet / Et hoc nisi non extenderis libenter ad similia manus vestras / Datum
Barchinone xx. die Januarii / anno a natiuitate domini Millesimo CCCC° xxxiiii.

Deo[illegible] R

T [illegible]

1434.

imposiciones

478